REMIGIUS ALTISSIODORENSIS. AELIUS DONATUS. PRISCIANUS CAESARIENSIS. SERVIUS HONORATUS. GLOSSEN

Anfang 13. Jh. Seite 38r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26554
Copyright: Admont, Benediktinerstift



lea debuit facere. tamen leena facit. Ideo nec in totum
fixum nec in totum mobile. Similiter gallus galla de
buerat facere femininum. et facit gallina differen
tie causa. ne si galla dicerem putaretur esse nomen ali
cuius femine. de gallia. Gallus autem est nomen auis.
Sunt alia diminutiua que non seruant genera que
ex nominibus primae positionis acceperunt. ut scutum
scutula. scutella. pistrinum pistrilla. canis ca
nis canicula. rana ranunculus. Ex nominibus primae
positionis. i. a quibus alia nomina deriuantur. vel dimi
nuuntur. Scutum neutri generis est. scutula vero et scu
tella femini. Et ideo non seruant genus primitiuum.
Scutula est rotunditas quedam. Vnde scutula
ta uestis. i. orbiculata dicitur. Scutella vero uas
escarum in quo esce ponuntur. Pistrinum neutri generis.
Pinso gr. latine ferio. Inde pistor. et pistrinum domus
pistorum. neutri generis. Inde et parua domus pistorum.
pistrilla uocatur. Hic et hec canis communis ge
neris est. canicula femini. et est signum celeste.
Nam quando animal significat catulus et catellus facit
diminutiuum. non canicula. Rana et statua fe
minina sunt. Ranunculus. i. parua rana. et
statunculus. i. parua statua. diminutiua sunt
et masculina. Vnde statunculus iouis legitur.
Nomen in a. desinens uocatiuo nominatiuo casu.
numero singulari. aut masculinum est. ut agrip